

*Resp.*

- 1) Per instantiam. Nam et ministri Ecclesiae ex verbo decidunt controuersias, quorum tamen decisio non parit infallibilitatem.
- 2) Quicquid infallibilitatis inest decisioni controuersiarum, id principaliter et vnice profluit ex verbo diuino. Id autem adhibere ad controuersiarum decisionem quilibet Ecclesiae doctor potest.
- 3) Eadem difficultas in omnibus aliis artibus scientiisque occurrit, etiam philosophicis, quae per infallibilem iudicem erunt decidendae, nisi perpetuis Scepticorum dubitationibus iactari velimus. At hoc absurdum est, ergo pariter absurdum erit, ad decidendas controuersias theologicas, infallibilem requiri iudicem.

*Quae vni-  
uersalia  
concilia?*

§. 21. Diuiduntur concilia in *uni-  
uersalia et particularia*. *Vniuersalia* vel *absolute* dicuntur, quae repraesentant omnes in toto orbe Ecclesias, omnesque earum Ecclesiarum fideles, siue clerici sint, siue laici. Talia concilia non dantur, nisi per subsequentem Ecclesiarum omnium consensionem vel tacitam, vel expressam. Vel *παχυλῶς* seu *secundum quid*, prout plerasque vel potiores in christiano orbe Ecclesias repraesentant. Quo sensu vniuersalia concilia dicuntur eo modo, quo olim imperium Romanum, imperium orbis dicebatur, per synecdochen partis pro toto. *Priori modo autem nulla dari extra consensum illum concilia, probatur*

I. *Ex rei ipsius impossibilitate*. Saepe enim latent, sub persecutionibus inprimis, Ecclesiae, nonnun-

nun-